

97-84274-27

Scheel, Johann

De pecuniae nomine ac  
natura quid senserint...

Jenae

1864

97-84274-27

MASTER NEGATIVE #

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DIVISION

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

ORIGINAL MATERIAL AS FILMED - EXISTING BIBLIOGRAPHIC RECORD

332	Scheel, Johann.
Z12	De pecuniae nomine ac natura quid senserint Romani et in primis jure- -consulti.
Jenae, 1864.	O. 30 p.
(Ger.) university.	Doctor's Dissertation at Halle No. 7. of a v. of pamphlets.

RESTRICTIONS ON USE: Reproductions may not be made without permission from Columbia University Libraries.

## TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mmREDUCTION RATIO: 9:1IMAGE PLACEMENT: IA  IIA  IB  IIBDATE FILMED: 12-4-97INITIALS: JPTRACKING #: 30130

FILMED BY PRESERVATION RESOURCES, BETHLEHEM, PA.

No. 7.

332  
Z 12  
#7

DE  
P E C U N I A E

NOMINE AC NATURA QUID SENSERINT ROMANI  
ET INPRIMIS IURECONSULTI.

---

**DISSERTATIO**

QUAM SCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET

**IOHANNES SCHEEL**

VENIA ET AUCTORITATE

**AMPLISSIMI IURECONSULTORUM ORDINIS**

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM  
VITENBERGENSI CONSOCIATA

AD

**IURIS UTRIVSQUE DOCTORIS GRADUM**

RITE CAPESSENDUM

A MDCCCLXIV.

---

IENAE

TYPIS FRIDERICI FROMMANN.

Quid sentiant de valoris notione homines arctissime coniunctum est cum universo quae est in ea gente oeconomiae statu, cum omni civili humanoque cultu.

Quae valoris notio paullatim, neque pariter, sed magna cum constantia atque perpetuitate excolitur. In ea alicuius gentis aetate qua oeconomia in hominum opera agro ejusque fructibus fundata est, quod nos dicimus „Natural-Wirthschaft“ valoris notio magna in fluctuatione atque inconstantia versatur; atque ad hominis cuiusque desideria se accomodat. Existit pecunia; in pecuniae nomine et pecuniarum ratione excolenda valoris notio ac natura excolitur, ad illam quasi accedit, postremo eiusdem fit potestatis. Tunc omnes oeconomicae rationes conditae sunt in pecunia, quae fit nervus tamquam rerum gerendarum. Postea valoris notio ab ea pecuniae recedit, a consuetudine oculorum et a sensibus sejungitur, magis fit universalis, pecunia tantum rerum valorem metitur. Existit fides: „Creditwirthschaft“.

Pecunia igitur primum est unus e valoribus oeconomicis, deinde valor ipse, tum modus valoris.

Quibus apparet in perquirenda valoris notione maximi momenti esse quaerere de pecuniae nomine ac natura.

Elegimus quidem e disquisitione historica de pecuniae notione eam partem qua ita ad valoris notionem — quod me demonstraturum esse spero — accedit, ut eiusdem fiat potestatis, una fiat eademque quam illa; partem rerum Romanarum a legibus duodecim tabularum usque ad finem secundi imperatorum Romanorum saeculi, iureconsultorum ac tatis aureae.

Nusquam autem gentium accuratius persequi licet quomodo pecuniae nomen ac ratio paulatim sit exulta, quam apud Romanos. Tamen, praecipue quod attinet ad cognoscendas oeconomicas notiones, doctrina non tam explanatae sunt eae atque exultae, ut omnino sint apertae et manifestae. Quid senserint de oeconomia politica Romani ut intelligatur iureconsultorum libri maximum praebent auxilium, cum iuris instituta ac rationes in iis oeconomiae politicae fundatae sint et esse debeant.

In principio totius disquisitionis liceat ponere locum illum Pauli saepissime iam relatam atque usurpatum

L 1 pr. D. de contr. emt. 18, 1:

„Olim unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit ut quod alteri superest alteri desit. Sed quia non semper nec facile occurrebat, ut cum tu haberes quod ego desiderarem invicem haberem quod tu accipere velles, clecta

materia est cuius publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret, eaque materia forma publica percussa...“

Quamvis praeclarissimo hoc loco omnino recta dicuntur, tamen inter statum in principio sententiae commemoratum atque inter illam „publicam materiae i. e. metalli formam“ multa interesse videntur, illum dico statum quo pecora, agri, metallum non signatum ut praecipui valores oeconomici aestimantur.

Census Servianos iugeribus agri fuisse aestimatos satis constat\*).

Eodem modo haud dubium esse videtur poenas apud Romanos usque ad duodecim tabularum tempus pecoribus esse solutas. Plinius HN. 33, 13. Lex Aternia (300 a. U. c.) in Dionys. X, 50: extremum multae definiebatur duobus bu-

\*) Vide Th. Mommsen, Geschichte des Röm. Münzwesens. Berlin 1860, quo in libro quod attinet ad res gestas imprimis usus sum; nec non eiusdem auctoris: Römische Geschichte. Gibbon, Decline and fall of the Roman empire in 1 vol. London 1830. B. Hildebrand Natural-, Geld- und Credit-Wirtschaft in Hildebrands Jahrb. f. Nat.-oec. und Statist. Jena 1864. Endemann, Volkswirtschaftliche Begriffe des Corpus iuris Canonici in Hildebrands Jahrb. Jena 1863. Tydeman, de oeconomiae politicae notionibus in Corpore Iuris Civilis. Lugduni Batav. 1838. G. Hermann, sententiae Roman. ad oec. pol. Diss. Erlangen 1833. Dureau de la Malle, Economie politique des Romains. Paris 1840. Th. Mommsen, Das Geld, Vortrag gehalten zu Berlin 7. Febr. 1863. Journal: Grenzboten 1863. No. 10.

bis et triginta pecoribus. Cic. Rep. II §. 60. Duodecim  
 tabulae omnia valore aeris librarum finivisse videntur:  
 „Si injuriam faxit alteri viginti aeris poenae sunt“ (VII)  
 et primi nummi cum cuderentur libra aeris modus con-  
 sinita est. Aere autem rudi iamdudum in permutationibus  
 homines usos esse nemo dubitat, nummos etiam et Cartha-  
 geniensium et ex Italia inferiore in Romanorum usu dilatos  
 esse verisimile est. Apud Plinium HN. 33, 13 legimus:  
 Servio rege primum aes esse signatum. Quod videlicet de  
 lateribus est intelligendum; anno autem 324 a. U. c. levis aes-  
 timatio pecudum facta est. Et iuris instituta Romanorum  
 quanta essent tenacitate cum sciamus, licet proponere in usu  
 commercioque iamdudum homines primum aere rudi, deinde  
 aere gravi ad solutiones perficiendas usos fuisse eo tempore  
 quo sub decemvirorum imperio primi nummi cudebantur.  
 In componendis enim rebus publicis fieri non potuit quin  
 etiam rationes oeconomicae constituerentur et imprimis id  
 peteretur, ut merx eligeretur quaedam praedita aestimatione  
 et forma legitima, cui ceterae merces conferri possent. Res  
 in dies crescentes, commercium cum finitimis gentibus ma-  
 gis magisque excultum et amplificatum, praesertim cum  
 Italia inferiore, effecerunt, ut hominum animi in illam rem  
 converterentur. Aes tam grave signabatur quam utilitate  
 erat concessum. Romani enim in pecunia non modo instru-  
 mentum quasi ad merces permutandas concupiscebant, sed  
 ipsam mercem aestimatione praeditam cuius pondus et men-

sura facili essent intellectu. Pretium autem pecuniae aequae  
 ac illud ceterarum mercium ab iis qui rem publicam admini-  
 strabant constituebatur. Quod haud mirum cognoscenti quo-  
 modo antiqua res publica totam hominis personam privatas-  
 que etiam rationes amplexa est atque constrinxit, nec non  
 id testantur permultae leges, iureconsultorum scripta, cor-  
 pus iuris civilis.

Inde a quinto saeculo multa exempla licet afferre com-  
 mercium et pecunias magnopere aucta esse; testes sunt  
 Appii Claudii et aliorum praeclara opera publica.

„Man warf,“ ut dicit Mommsen, „das veraltete Bauern-  
 system des Sparschatzsammelns bei Seite und lernte seine  
 Mittel in würdigerer Weise gebrauchen\*.“

Diminuto metalli pretio fieri non potuit quin maior va-  
 lor ad permutandas merces constitueretur, itaque oppidis  
 Italiae inferioris, quae praecipue commercio studebant, ex-  
 pugnatis quorum in numero maximi momenti celeberrimum  
 illud Tarentum, anno 486, Plinio teste 485, nummi argentei  
 (denarii) legitima pecunia fiunt. Plinius HN. 33, 3: „argen-  
 tum signatum anno Urbis CCCCLXXXV et placuit denarium  
 pro decem libris aeris valere.“ Eodem tempore assis gra-  
 vis pretium diminutum est, ita ut in posterum aes tantum  
 ad viliores commercii permutationes perficiendas adhibere-  
 tur. Praeter argentum tunc auro quoque ad merces per-

\*) Röm. Gesch. I 299.

nu tandas homines utebantur, ut antea praeter aes argento. Multae autem leges de re nummaria, multae de auri argenti aëris rationibus constituuntur. Nummi quibus rationes legitimaë perficiebantur semper cudebantur prohi. Persuasissimum enim erat Romanis, quod antea iam annotavi, pecuniam non esse valoris effigiem sed ipsum valorem, et cam rationem secuti sunt, quam praeclarissimus ille de oeconomia rebus scriptor Graecus Xenophon de re dit. III 2 expressit: „denique mercatura a ratione pecuniae pendet, nam bonos nummos quivis mercator libenter sumit et ubique ita vendit ut vel lucrum inde redundet. Ubi vero mali et adulterini nummi sunt nominis mercium commutatio erit quae mercaturae efflorescenti magno erit impedimento\*.“ Quod praëceptum Graeci minus secuti sunt quam Romani.

Et Romanos a principio aliter quam Graecos de re pecuniaria sensisse apparet comparando leges Licinias 387 a. U. c. (367 a. Chr. n.) cum iis Solonis a 594 a. Chr. n. (quae lege tempore quidem valde distant, sed cultus humani civilisque differentiam, cum apud Romanos Licinii, apud Graecos Solonis leges ferebantur, magnam fuisse haud verisimile). Uterque magnum aes alienum dissolvere studuit. Solon nominibus nullo modo mutatis statim auxit nummorum pretium. Licinius vero non ita commercii ususque ratio-

\*) cfr. B. Hildebrand, Diss. de Xenophontis et Aristotelis de oec. publ. doctrina I Marburg. 1845. p. 28.

nes perturbans singulis debitoribus partem pecuniarum debitarum remisit. Liv. 17, 35: „De aere alieno, ut deducto eo (de capite), quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset triennio aequis portionibus persolveretur.“

Sunt quidem belli Punici temporibus nummi leves dispensati, eodemque modo postea cum res publica in angustiis fuit, quae vero res Romanorum rationibus adeo erant alienae, ut, quamquam plebiscitis legibusque constitutae erant et acceptae, tamen eas se ipsos celare quasi ut ita dicam conarentur leves cum gravibus nummis miscentes; se ipsos tamquam decipientes. Quamobrem haud dubium esse videtur, Romanos in his adulterinis nummis pecuniam quandam ad fidem acquirendam in publicum prolatam, hodiernam quasi chartaceam pecuniam, noluisse cognoscere; sed vi et necessitate coacti alio modo ex angustiis se non fugere posse credebant. Quibus nummis videlicet infinitae in re nummaria perturbationes exstiterunt, atque adeo certabant haec res cum eo quod Romani de pecuniae natura sentiebant, ut Marius, cum rem nummariam explicare atque emendare conaretur atque explicaret, per omnem Italiam status divinisque honoribus celebraretur. Plin. HN. 33, 46. Mala in pecuniarum rationibus Sullae instituta Caesar confestim sustulit atque expedit.

Ita Romanorum res nummaria satis constanter et naturaliter excolta est. Una cum potestate in exteris nationes amplificata vires quoque pecuniarum valde angebantur cum

rei publicae tum singulorum civium. Sexto a. U. c. saeculo infinitae in aerario pecuniae erant conditae, ita ut non modo viribus in bellis ceteras nationes verum etiam magna pecuniarum copia alias omnes gentes Romani superarent.

Pecuniae autem agriculturae studia paulatim depresserunt atque consumserunt.

Quomodo oeconomia in hominum opera, agris, agrorum fructibus fundata in pecuniarum oeconomiam commutata sit, partim certe a rerum scriptoribus posteritatis memoriae traditum est. In provinciis quidem tributa aliqua ex parte pecuniis soluta esse constat. In Hispania, exempli gratia, Romani ea ratione quam a Carthaginiensibus acceperant usi sunt. Mirum autem est, quomodo mutaretur oeconomiae ratio in capite omnium negotiorum, in Urbe ipsa. Omnia paulatim magis magisque in pecunia ponebantur, agriculturae omnino deserebatur, tamen Romani nec industria nec commercio (liceat uti verbo): productivis studebant; sed ad pecuniae negotiationes, pecuniarias opes acquirendas omnium studia conversa erant. Vectigalium locationibus, argentariorum negotiationibus cives Romani tunc maximopere operam dabant.

Illae autem quae congerebantur amplissimae divitiae pecuniariae non labore, opera, industria comparatae erant, sed expugnatae quasi, congestae ex exteris nationibus, ra-

ptae e provinciis. Et mira est Gaji illa sententia: „maxime sua esse credebant quae ex hostibus cepissent\*“.

Fieri itaque non poterat, quin Romani maxima aestimatione praeditam haberent pecuniam, quin etiam unicum valorem oeconomicum (ut ita dicam) eam esse crederent; valoris et pecuniae notionem unam eandemque existimarent; nam agricultura erat deserta, industria neglecta, commercium sterile, ad pecuniam omnia conversa, vis „productiva“ minuta largitionibus frumentariis, remissionibus tributorum, opera servili.

Opes pecuniariae partim in tributi forma e gentibus subjectis acquisitae, partim rapina undique collectae crescunt augenturque. Pecuniae praeponderantem potentiam etiam in forum intrasse testatur lex Sempronii iudiciaria a 631 a. U. c., quae in equites i. e. publicanos et homines pecuniosos iudicia transtulit; iam penes illos erat imperium; nam iudices iudicia illi regebant, publicani provincias; illi administrabant, tum perdebant rem publicam.

Orbe terrarum sub Romanorum potestatem redacto, pretiis metallorum depressis ampliatur quasi iterum valoris nomen, et aurum fit nummus legitimus, argento in vilioribus tantum commercii rationibus homines utuntur; atque nonnunquam argento aes immiscetur. Plin. HN. 33, 13: „Aureus nummus post annum LXII percussus est quam argenteus.“  
Auro aliud metallum non immiscetur.

\*) Gaj. IV 16.



Nec fieri potuit, quin, cum rationes pecuniariae auge-  
rentur magis magisque excolerentur: magna pars tributorum  
censuum vectigalium pecunia solveretur, quod Trajani tem-  
pore praecipue in Asia, Hispania, Gallia factum esse constat.  
Tertio saeculo pecuniis angustioribus re nummaria corrupta  
cursus major pars tributorum in fructibus quos natura gi-  
git soluta esse videtur\*).

Hic tamen in perlustrandis Romanorum rebus subsisti-  
mus exeunte fere secundo quo Romani imperatorum imperio  
subjecti erant saeculo.

Eo tempore usus commerciumque maxime in pecunia  
numerata fundata esse videntur, negotiorum rationes maxime  
excultae atque expolitae, tamen non ita institutam inveni-  
mus oeconomiam, ut comparari possit ei urbium illarum  
quae hodie sunt capita mercaturae per orbem terrarum  
tractae.

Pecunia chartacea, cambia, cautiones in quemvis instru-  
menti possessorem conceptae non inveniuntur. Quod atti-  
t et ad nummos leviores, qui interdum in publicum promitte-  
bantur, iam vidimus, id factum esse cogente necessitate in an-  
gustia rei publicae et remedium quam celerrime introductum;  
in nullo autem modo quasi chartaceam pecuniam in iis esse in-  
telligendam. Parvos nummos temperatos esse nil differt, cum

\*) cfr. Gibbon, Decl. and fall p. 253. Durcau de la Malle, Ee. pol.  
des Rom. II 4, 15.

id quod dicimus Scheidemünze in strictam pecuniae notio-  
nem non intret. Etiam cambia in Romanorum usu commer-  
cioque fuisse nonnulli putant, laudantque illos notissimos Ci-  
ceronis locos in ad Atticum XII 24, 27. XV 5; ad famil.  
II 17 et ceteros. Tamen accuratius rem perscrutantes camb-  
ia, si verbum quid hodie valeat videmus, fuisse credere  
non possumus. Permutationes, perscriptiones, similia, prae-  
sertim in argentariorum usu inveniuntur, cambiis eos usos  
esse probari non potest\*).

Principia quasi cautionum in quemvis instrumenti pos-  
sessorem conceptarum in tesseris fortasse spectentur 49 §. 1  
Dig. de leg. et fid. 31: „Si Titio tessera frumentaria legata  
sit — nam cui tessera legata sit vel militia ei aestimatio vi-  
detur legata.“ 87. pr. D. ht. „Sejo tesseram frumentariam  
comparari voluit,“ aliis multis locis.

Militiis autem atque tesseris annua assignabantur ali-  
menta, quae emi poterant atque vendi et cautiones illae ab  
alio in alium possessorem transferri poterant, sed emtiones  
venditionesque mercium tesseris perfectas esse, eas pecu-  
niae vim ac virtutem habuisse neque constat neque ex tesse-  
rarum natura verisimile est. Homines iis simili modo usos  
esse videntur ac in medio aevo pecunias suas praediorum  
possessoribus homines tribuebant ut certa quaedam annua  
alimenta acciperent.

\*) Kraut, De argentariis et nummulariis. Gotting. 1826. B. Hildebrand,  
Nat. Geld u. Credit. Jena 1864. p. 6.

Item partes societatum publicanorum similiumque non eam vim habebant quam nostrae cautiones quae „Actien“ vocantur. e. g. 6 D. de publican. et vect. 39, 4:

„Si multi publicani sunt qui illicite quid exegerunt — omnes partes praestabunt. —“ Multis apud Ciceronem locis: e. g., magnas partes habuit publicorum „partes illo tempore rarissimae“ etc. Notissimum quidem est apud societates publicanorum socios fuisse qui a rebus gerendis se absterent et pecuniae tantum summam in societatem ita inferrent ut et damni et lucri participes essent, tamen ex eo quod socii in solidum obligati erant cognoscimus in illis partibus nullo modo eas cautiones intelligendas esse\*) quas Actien hodie vocamus. Cedi poterant partes, sed in quemvis instrumenti possessorem conceptae non erant, pretia partium pro negotiorum rationibus, pro eorum qui eas petebant frequentia jactabantur, sed non erant partes id quod „Speculationspapiere“ in nostro commercio et usu.

Tydeman quidem De notionibus p. 32 dicit: „Sed saepius qui pecuniam debebat creditori dabat instrumentum in argentarium suum, creditor autem hoc alteri cuidam in solutum dabat — adeo ut ea instrumenta numeratae pecuniae plane locum haberent nec re vera aliud essent, quam quod nos billets de banque, imo etiam interdum id quod billets au porteur dicimus;“ et quo probetur assertio illa laudat lo-

\*) Salkowski, De iure publicanorum. Diss. Regim. 1860.

cum Codicis Iustiniani: 11 C. de pact. conv. 5, 14: „si mulier marito suo nomina i. e. foeneraticias cautiones dederit“ quo loco non agitur nisi de nominibus foeneraticis i. e. e quibus creditor fenus accipiebat, quae mulier dat conservanda et administranda marito. Nos vero nullo modo intelligimus quomodo hac lege uti posset vir doctissimus Tydeman, ut in Romanorum usu billets au porteur fuisse probet, sed vera sit illa assertio vel non sit, nos de Iustiniani tempore plane non agimus.

Proxime coniunctas hodiernae oeconomiae rationi litterarum obligationes fuisse quis putet, praecipue nomina transscripticia a re in personam. Inst. III 21 de litt. obligat. Gajus III 128 sq. Notissimum est, valde fluctuare de illis obligationibus doctorum opiniones; tamen de iis, si id constare nobis videatur, quod iam Kraut in de argentariis et nummulariis commentatione, jam citata dicit: „quod attinet ad litterarum obligationis materiam, praemonendum est, nullas nisi quae pecunia numerata constabant obligationes codici accepti et expensi inscribi potuisse (Kraut l. c. pag. 91), existimemus, litterarum obligationes ad eam quam Creditwirthschaft vocamus oeconomiae rationem non pertinere.

Iam disquisitionis summam rursus perlustrantes cognoscimus, in sola numerata pecunia Romanorum oeconomiam esse fundatam, ad illam omnes usus commercique rationes referri, ita ut contenta operae et industriae vi „pro-

ductiva“, nil nisi pecuniae possessionem peterent; quo fieri non poterat quin valoris notionem in ipsius pecuniae nominis intelligerent.

Id quod doctorum scripta perquirentes etiam in Romanorum doctrina inveniri iam nobis probandum est.

In fontibus iuris civilis, iureconsultorum libris et Corpore Iuris Iustiniano, e quibus oeconomicas Romanorum notiones praecipue cognoscimus, illa Romanorum ratio, quam sequentes omne commercium ad pecuniam referebant, eo cognoscitur quod multi, si cum ceteris comparamus, loci de ipsa pecunia scripti sunt, nec non pluribus locis eius notiois definitiones inveniuntur. Haud aliud non iureconsultorum sagacitatem ita excitavit quam pecuniae.

Revertamur ad celeberrimum illum jam supra laudatum Pauli locum L. 1 pr. Dig. de contr. emt. 18, 1 quo iureconsultus, explanata pecuniae origine, pergit: „eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet quam ex quantitate.“ Vulgata lectio est „qualitate“ quae verior mihi videtur; nam verba: non tam ex substantia quam ex quantitate nummos utilitatem praebere non ita perspicua atque vera mihi videntur, quam illa: non tam ex substantia quam ex qualitate, quibus Paulus significat iam materiam illam eo quod nummorum qualitatem acceperit novum ac praecipuum usum praebere cum

iam modus et pondus facile cognosci, solutiones expedite effici possint\*).

Paulus pergit: „nec ultra merx utrumque sed alterum pretium vocatur. §. 1. Sed an sine nummis venditio dici hodie possit dubitatur; veluti si ego togam dedi ut tunicam acciperem. Sabinus et Cassius esse emtionem et venditionem putant. Nerva et Proculus permutationem, non emtionem. Sed verior est Nervae et Proculi sententia.“

Quocum comparanda Pauli sententia L. 1 pr. D. de rer. permut. 19, 4:

„Sicut aliud est vendere aliud emere, alius emtor alius venditor, ita pretium aliud, aliud merx. At in permutatione discerni non potest, uter emtor, uter venditor sit . . . . In permutatione si utrumque pretium est, utriusque rem fieri oportet, si merx neutrius. Sed cum debeat et res et pretium esse non potest inveniri quid eorum merx et quid pretium sit. Nec ratio patitur, ut una eademque res et veneat et pretium sit emtionis.“

Paulus igitur emtionis naturam ponit in danda pecuniae numeratae quantitate pro re quam acquirere volumus, et pretium esse dicit: quantitatem pecuniae quam quis dat ut rem (mercem) acquirat. Atque vir celeberrimus Say, *Traité d'Economie politique* I, 3 Romanorum rationem sequitur definiens: la quantité de monnaie que l'on consent à donner

\*) Florentinam lectionem praefert Tydeman. De not. p. 14.

po ar obtenir une chose se nomme son prix (cfr. etiam Tydemann, De not. lc. cap.: de pretio et valore). Nos rectius definiamus pretium esse valorem datum pro acquirenda re; Romani valoris loco pecuniam intelligunt. Hanc autem rationem, pretium semper in pecunia numerata constare debere, etiam in vulgarem sermonem hominumque animos intrasse e. g. ex Terentio cognoscimus, qui pretium scribit pro pecunia Heaut. Tim. II 2, 5 „cui nil iam praeter pretium“ dulcest i. e. cui nil praeter pecuniam dulce est.

Paulus in perscrutanda emtionis venditionis natura id sibi proponit, quod in perficiendae emtionis momento homines in pecunia numerata non mercem sed solam mercis acquirendae aestimationem spectant. Sabinus autem et Cassius unum idemque esse venditionem emtionem et permutationem dicunt, et cum res cum re permutatur id emtionem venditionem esse declarant. cfr.

§. 1 Inst. III 23 de emtione et venditione:

„Sabinus et Cassius etiam in alia re putant posse pretium consistere. Unde illud est quod vulgo dicebatur permutatione rerum emtionem et venditionem contrahi.“

Illi igitur Iureconsulti id maxime demonstrant, pecuniam rei acquirendae causa datam mercem quoque esse. Iurgitur autem: „eamque speciem emtionis et venditionis vetustissimam esse argumentoque utebantur Graeco poeta Homero.“ Quae igitur Sabini et Cassii sententia non tam in eo fundata esse videtur, quod emtionis venditionis na-

turam accuratius intellexissent et perlucide perspexissent, sed eo argumento utuntur: illam emtionis venditionis formam esse antiquissimam, ideo naturalem et veram.

„Sed Proculi sententia merito praevalet“ §. 2 lc., et ei quod de pecuniae nomine sentiebant Romani aptior et accommodatior erat. Sic lc. pr. Inst. III 23 de emt. et vend.:

„Emtio et venditio contrahitur simulatque de pretio convenit — sed et certum pretium esse debet — §. 2. pretium in numerata pecunia consistere debet.“

Nec non id intellexerunt Romani, emtionem venditionem, quod ipsum iam duplex nomen demonstrat, duplicem esse quandam operationem quae uno contractu perficitur: „aliud est emere aliud vendere“ Paulus lc., vendere: est offerre et dare mercem, emere: offerre et dare pretium i. e. numeratam pecuniam (Inst. lc.). Pecuniam autem ipsam mercem esse Gaius significat:

L. 3 Dig. de eo quod certo loco 13, 4:

„Quam varia sint rerum pretia per singulas civitates regionisque maxime vini olei frumenti: pecuniarum quoque, licet videatur una et eadem potestas (cfr. L. 1 pr. D. lc. 18, 1 Paulus „aestimatio perpetua“) ubique esse, tamen aliis locis facilius et levibus usuris inveniuntur aliis difficilius et gravibus usuris.“

Quo loco iureconsultus etiam eam pecuniae vim ac utilitatem significat qua fit sors usuras ferens. Atque cum

scrtis nomen (i. e. Capital) cum eo pecuniae arctissime coniunctum sit, de eo pauca dicamus.

In Romanorum sermone nomen quod hodie Capital dicimus verbis significatur: „sors“ i. e. pecunia credita; „capital“ i. e. pecuniae summa principalis; „vivum“ oppositum pecuniis otiosis; denique „pecuniae“ vel „pecuniarum“ ipsa appellatione. Hoc igitur etiam loco videmus, Romanos in sorte (hoc verbo uti liceat pro nomine „Capital“ i. e. summa eorum valorum quos quis possidet et ad novos valores acquirendos adhibet) nil spectare nisi pecuniam. Nostram autem quasi universalem notionem Capital apud Romanos non invenimus. Praesertim sortis vim „productivam“ eos non plane perspexisse, ex eo quod de usuris senserint cognoscatur. Quae ipsa materia saepissime a viris doctis pertractata accuratius nobis quidem non perscrutanda est, sed brevi pauca quae ad propositum nostrum attinent annotemus. Scimus iam pristino tempore usurarum modum legitimum constitutum esse (Tacit. annal. VI 16: „nam primo XII tabulis sanctum, ne quis unciario foenore amplius exerceret,“  $8\frac{1}{3}\%$  ut fenus maximum, parvus quidem modus quocum si comparamus foenus medio aevo usitatum), antocismum exerceri post Ciceronis aetatem vetitum, sorte libere utendi potestatem vario modo circumscriptam esse. L. 26 §. 1 Dig. de cond. ind. 12, 6. L. 27 D. de re iud. 42, 1. D. de usur. et fruct. 22, 1, etc. Usuras vero dari necesse esse Romani nunquam negarunt, etiamsi in rei publicae

angustiis leges latae esse dicuntur, ut Genucii aliorumque, quibus foenus exerceri omnino vetitum sit. Re vera igitur sortis productivam vim semper intellexerunt, cognoveruntque in usuris compensationem et pro eo quod possidendi utilitatem creditor amittat et pro periculo creditori praestando. (Pauli sent. II, 14, 3 pecunia trajecticia, foenus nauticum), tamen doctrina, quam arcte coniuncta sit sortis productiva vis cum usuris — et ipsae usurae de usu non de fructu nomen ducunt — non ita perlucide perspexisse videtur. Discernunt Iureconsulti usuras ex officio iudicis ab usuris ex obligatione constitutis; sed ex ipsa sorte usurae quasi profluere Romanis non videntur:

L. 24 Dig. de praescr. verbis 19, 5: „Pecuniae creditae usuras nisi in stipulationem deductas non deberi,“

atque usuras non fructus esse ex ipsa sorte productos plures loci affirmant: L. 34 Dig. de usur. 22, 1: usurae vicem fructuum obtinent; L. 121 Dig. de V. S. 50, 16: Pomponius: „Usura pecuniae quam percipimus in fructu non est, quia non ex corpore ipso (i. e. ex sorte) sed ex alia causa est, id est ex nova obligatione.“

Itaque, cum haud plane perspectam et elaboratam haberent sortis naturam, ut pecuniae, qua sors manifestatur quasi et repraesentatur, nomen recte intelligerent Romani fieri non potuit. Spectabant quidem in pecunia omnium rerum pretium, quod supra vidimus, spectabant instrumentum ad rerum possessionem acquirendam, sed eam ho-

minum opera in productivam sortem commutari posse non spectabant.

Qua in re perquirenda de usufructu pecuniae quid senserint magni momenti est.

§. 2 Inst. de usufr. 2, 4:

„Constituatur autem usufructus in fundo et aedibus verum etiam in servis et iumentis et caeteris rebus; exceptis iis quae ipso usu consumuntur. Nam haec res neque naturali ratione neque civili recipiunt usufructum, quo numero sunt vinum oleum frumentum vestimenta; quibus proxima est numerata pecunia. Namque ipso usu assidua permutatione quodammodo extinguitur (non rationem habet lectus earum rerum quae acquiruntur permutata pecunia). Sed utilitatis causa censuit senatus posse etiam earum rerum usufructum constitui. Ergo senatus non fecit quidem earum rerum usufructum, sed per cautionem quasi usufructum constituit.“

Videmus igitur oeconomicis rationibus magis exultis necessitate quadam eo Romanos compulsos esse, ut etiam sortis quae in pecunia constabat usufructum constituerent, quod in agris aedibus aliis rebus iam antea factum erat; sed cum sortis et pecuniae naturam plane perspectam non haberent hic iuris ratio in difficultatem quandam incurrit. Sic etiam legimus:

L. 25 Dig. de usufr. 7, 5: eo senatus consulto non id effectum esse, ut pecuniae usufructus proprius esset, nec

enim naturalis ratio auctoritate senatus commutari potuit, sed remedio introducto coepit quasi usufructus haberi.

L. 2 Dig. de usufr. 7, 5: nam idem continere usum pecuniae et usufructum et Iulianus scribit et Pomponius.

Atque aliis etiam locis sortis „productivam“ vim male perspectam, industriam operamque laud recte aestimatam esse videmus. Exempli gratia in specificatione. Sabiniani enim dicentes „quod ex re nostra fit nostrum est“ industriae vim plane contemnunt, nil nisi ius possidentis agnoscunt; Proculeiani, quamquam specificatione rerum dominium acquiri posse declarant, longe tamen aberant, ut industriae vim in specificatione cognoscent, sed sola occupatione rerum specificatarum dominium amitti domino censent.

L. 7 §. 7 D. de acquir. rer. dom. 41, 1:

„Cum quis ex aliena materia speciem aliquam suo nomine fecerit, Nerva et Proculus putant, hunc dominum esse qui fecerit: quia, quod factum est, antea nullius fuerat.“

Nec mirum id. Hominum, qui vivebant de praedis ab aliis gentibus quaesitis fieri non potuit, quin animi in industriae quadam contemtionem versarentur, omnia ponerent in possidendo (non labore, opera, industria acquirendo); et pecunia quam pugna, non opera acquisiverant solus existeret valor oeconomicus.

Et singulare quoddam est, quomodo etiam sermone illa ratio manifestata sit. Ex venditione alicuius rei pecu-

nium accipere significatur verbo: „reficere pecuniam“ re facere, restituere quasi rei valorem eo quod pecunia ex ea fit. Exempli gratia: L. 82 Dig. ad Leg. Falcid. 35, 2: quod i. e. quantum pecuniae refici ex hereditate potest. L. 88 D. de V. S. 50, 16: quantum sc. pecuniae ex bonis refici potest. L. 3 §. 4 D. de usur. et fruct. 22, 1: Si materiam ideo reliquit, ut ea distracta pecuniaeque „refecta“. Simili modo utuntur verbo: „redigere“ i. e. re capere, restituere, reficere valorem ex re e. g. L. 26 D. fam. erc. 10, 2: pecuniamque e pretio redactam.

Item verbum „peculium“ i. e. quod ad specialem administrationem alicui datum est, peculiaris i. e. specialis, a pecunia originem ducere videntur et significationes illas (Eigen, Eigenthümlich) accepisse, quia maxime specialiterque suam esse credebant Romani pecuniam.

Notissimum est, usque ad Diocletiani tempus quo Romanorum rationes nummariae et pecuniariae corrumpi coeperunt omnes condemnationes iudicis certae vel incertae erant pecuniae. Puchta, Institut. II §. 166.

Item ex obligationis notione L. 9 §. 2 D. de statut. 40, 7: „ca enim in obligatione consistere quae pecunia hui praestarique possunt“

et e strictissima pecuniarum actionum forma cognoscatur, quomodo de pecunia sentirent Romani, eosque in ipsa pecunia maximum quin etiam unicum valorem posuisse.

Atqui haud paucis in locis id manifestissime atque

evidenter exprimitur, nihil aliud quam pecuniam quamvis esse rem, quae sit oeconomici valoris atque aestimationis.

L. 5 Dig. de V. S. 50, 16 Ulpianus: „rei appellatio latior est quam pecuniae, quae etiam ea, quae extra computationem patrimonii nostri sunt, continet, cum pecuniae significatio ad ea referatur, quae in patrimonio sunt“ i. e. quae in patrimonii computatione, quae cum hominum utilitate coniuncta, in hominum aestimatione sunt.

Atque Ulpianus dicens L. 222 D. de V. S. 50, 16:

„pecuniae nomine non solum pecunia sed omnes res tam soli quam mobiles tam corpora quam iura continentur“ hac sententia significat: omnia quae in aestimatione sint, quae valorem habeant pecuniam esse; pecuniam esse valorem.

Item L. 178 D. de V. S. 50, 16:

„Pecuniae verbum non solum numeratam pecuniam complecti verum omnem pecuniam hoc est omnia corpora, nam corpora quoque pecuniae appellatione contineri, nemo est qui ambiget.“

Item omnes res quas quis possidet, a Romanis pecuniae nomine appellari invenimus: e. g. L. 6 pr. Dig. de contr. emt. 18, 1: „publica, quae non in pecunia populi sed in publico usu habentur“ etc.

Et Iustinianus constituti actionem ampliandam ad res immobiles, quoniam eae etiam pecunia sint, antiquam illam

Fomanorum notionem maxima cum verborum copia explicat:

L. 2 §. 1 Cod. de pec. const. 4, 18:

„Et neminem moveat, quod sub nomine pecuniae etiam omnes res exigi definiamus, cum et in antiquis libris prudentium licet constituta pecunia nominabatur tamen non pecuniae (numeratae) tantum per eam exigebantur, sed omnes res, quae pondere numero mensura consistunt. Sed et possibile est omnes res in pecuniam converti. Si enim certa domus vel certus ager vel certus homo vel alia res quae expressa est in constituendis rebus ponatur, quid constat a nomine ipsius pecuniae? Sed ut subtilitati eorum satisfiat, qui non sensum sed vana nominum vocabula amplecti desiderant“ — (verisimile est, Romanam illam rationem, quam e iureconsultorum libris Iustinianus exhibuerat, non ita intrasse in animos hominum, qui Iustiniani tempore et in eius orientali imperio vivebant) — „ita omnes res veniant in constitutam actionem tamquam si fuisset ipsa pecunia constituta. Cum etiam veteres pecuniae appellatione omnes res significari definiant et huiusmodi vocabulum et in libris iuris auctorum et in alia antiqua prudentia manifestissime inventum sit.“

Sic et ea, quae ex ipsa Romanarum rerum natura et ea, quae e doctorum sententiis et prudentium scriptis cognoscimus, valde concordare videntur.

A principio usque ad finem quod perlustravimus tem-

poris — nec omittendum, nos quidem nunquam de toto Romanorum imperio quaesivisse, cuius gentes quin in maxime diversis humani civilisque cultus gradibus versati fuerint, nemo dubitat, sed de ipsa urbe, umbilico quasi et centro commercii commeatusque — videmus, dico, nunquam instrumentum solum quo permutationes perficerentur in pecunia spectasse Romanos, non ficticiam quandam sed veram aestimationem in ea quaesivisse, videmus una cum re nummaria pecuniarias rationes exultas, agriculturam corruptam, industriam, commercium productivum non efflorescens, usum commerciumque conversum in pecuniarias negotiationes minus productivas fecundasque, videmus quomodo Romani finium proferendorum cupidine flagrant, viventes quasi de praedis ex alienis gentibus acquisitis vitae virtutem rationemque in fruendo et possidendo ponunt, non operam industriamque sed pecuniam solam petunt et magni aestimant. Sic fieri non potuit quin eius rei, ad quam omnium animi omnesque rationes conversae erant, notio ita ampliaretur ut solum ipsumque valorem oeconomicum in ea spectarent. Nec non id probari videmus ex eo quod doctrina prudentium docet de emptione venditione, de pretio, de sorte, de specificatione, de omnium rerum aestimatione; rationesque illas in ipso hominum sermone expressas esse cognoscimus.

Atque talem locum et, ut ita dicam, functionem in Romanorum vita animisque habere pecuniam, id proprium est



et singulare (totius) quam perlustravimus aetatis: omnia in pecunia posita, vita sterilis aequae ac ipsi nummi, animi duri, avaritia, industriae contentus; rerum publicarum occasus.

Medio aevo industriae vi in vitam quasi reducta et in ea omni vitae virtute posita, nostris temporibus illam cum antiqua rationem conjungere et reconciliare est propositum.

## THESES.

### I.

L. 12 §. 3 Dig. ad exhib. 10, 4. Res furtiva acquiritur specificatione.

### II.

L. 13 §. 11 Dig. loc. cond. 19, 2. Relocatione tacite facta conductor quamdiu habitaverit tamdiu obligetur.

### III.

Deutsche Wechselordnung a. 21. Scriptum in cambio acceptum nequit revocari delendo priusquam possessori cambium redditum est.

### IV.

L. 95 §. 1 Dig. de solut. 46, 3. Mutuo sine die dato actio non praescribitur.

V.

L. 6 §. 7 D. quae in fraud. credit. 42, 8. Solutiones ante concursum creditorum factae in actionem Paulianam non veniunt.

**END OF  
TITLE**